

Ant. Rom.  
**359**







DEDICATIONE  
NOVAE. DRESdensis. CVRIAe

FELICI. OMINE. RESTITVTAE. ATQVE. AMPLIFICATAe

IMMINENTE

DE. ROMANORVM. CVRIA

DISSERIT

SIMVL. QVE

QVAEVIS. FAVSTA. APPRECATVR. PIE

AMPLISSIMIS. PATRIBVS. CONSCRIPTIS

ORDINIS. SENATORII

VRBIS. DRESDAE

MAECENATIBVS. OMNIBVS. OMNINO

LAVDIBVS. ORNANDIS

AVGVRATIONEM. CVRIAe. GRATVLATVS

• CLIENS. DEVINCTISSIMVS

M. DANIEL. GOTTLob. GERSTENER

KEMNICENSIS. MISNICVS

---

A. R. S. M DCC XXXII.





Dum ego nuper Ovidii præstantissimum  
Metamorphoseos opus iterum evolve-  
rem, incidi in narrationem de Lycaone  
tyranno, quæ, mea quidem sententia, o-  
mnino aliquid de republ. Romana continet, præcipue  
videbar mihi in ea descriptionem curiar cujusdam in-  
venisse, dum poëta Pelynus nutritus aquis canit Me-  
tam. I. v. 170. sqq.

*Hac iter est superis ad magni tecta tonantis  
Regalemque domum, dextra laevaque deorum  
Atria nobilium valvis celebrantur apertis.*

*Plebs habitant diversa locis, a fronte potentes  
Coelicolæ, clarique suos posuere penates.*

*Hic locus est, quem, si verbis audacia detur,  
Haud timeam magni dixisse palatia coeli.*

*Ergo ubi marmoreo superi sedere recessu  
Celsior ipse (sc. Jupiter) loco sceptro que innixus a) ebur-  
no E&c.*

quod

a) de hoc scipione consulati v. Lips. de mag. pop. rom. c. 8.

quod ansam mihi præbuit curatius perpendendi, quales Romanorum quondam curiæ fuerint, quas meditationes qualescumque in hunc exigui ingeniali foetum congesi.

Quo igitur omnia justo fiant ordine, primo, quod felix faustum fortunatumque sit, considerabimus vocem *curiæ*, atque varios ejus significatus evolvemus. Quatuor admittit vocabulum notiones, et quidem prima omnium Romuli tempestate fuit inventa. Ille enim, quem conditorem Romanæ reipubl. ferunt, in tres populum universum dispartitus est partes seu *tribus*, quæ iterum in decem abierunt partes, *curias* dictas, quas deinde per *centurias* numerare fuit solitus, quo eo melius delectum militarem possent habere, quod more suo, præeunte Livio I. 13. docte observavit insignis philologus Nieuport expl. fil. rom. p. 6. sqq. Ex quo nunc intelligere possumus, quid sint *comitia curiata*, *vota curiata*, *lex curiata* atque *curialis*, de quibus in præsenti nihil dicere volumus: videas tamen Petrum Nannium Alcm. in Rep. Romana p. 231. sq. Altera huic vocabulo respondens idea denotat locum, in quo quælibet curia ex Romuli instituto sacra sua legibus definita obiret rite. Cuncta hæc fana in decima urbis regione, seu palatio olim existisse, et præter curiam *curiam Foriensem*, *Raptam*, *Veliensem* et *Velitiam*, quas veteres dixerunt *curias*, sunt amplificata. cf. ill. Heinecc. ant. rom. jur. ill. synt. T. I. L. I. app. § 64. atque Hederichii Reales Schul-Lex. p. m. 1004. add. Popina de diff. verb. ed.

a 2

Richt.

Richt. p. 188. Huc etiam pertinet *curia saliorum*, cuius Cicero meminit Div. L. I. p. m. 357. *Qui quidem Romuli litius, - - - cum situs esset in curia saliorum, qua est in palatio, eaque deflagrasset, inventus est integer.* Forte et *Calabra curia* in horum numero erit habenda, de qua *Macrobius* refert *Saturn. L. I. 15.* Nam priscis temporibus, antequam fasti a *En. Flavio scriba* in vitiis patribus in omnium notitiam proderentur, pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut nouæ luna primum observaret aspectum, visumque regi sacrificulo nuntiaret. Itaque sacrificio a rege et minore pontifice celebrato, idem pontifex calata, id est, vocata in capitolium plebe juxta curiam calabram, quæ casæ Romuli proxima erat, quo numero dies a calendis ad nonas superercent, pronunciabat, et quintanas quidem dicto quinquies verbo καλω: septimanas vero septies repetito prædicabat. Hunc ergo diem, qui ex us diebus, qui calarentur, primus esset, placuit calendas vocari. Hinc et ipsi curiæ ad quam vocabantur, nomen *Calabra* datum est, et *Classi*, quod omnis in eam populus vocaretur. Hæc ille. Imo et *Faucia* curia in hoc censu erit, de quo *Livius L. IX. 38.* narrat: *Papirius C. Junium Bubulcum magistrum equitum dixit: atque ei legem curiatam de imperio ferenti, triste omen diem diffidit, quod Faucia curia fuit principium, duabus insignis cladibus, captæ urbis, et Caudina pacis: quod utroque anno ejusdem curiæ fuerat principium; Macer Licinius tertia etiam clade, quæ ad Cremeram accepta est, abominandam eam curiam facit. Tertio locus, in quem senatores convocantur, appellatur curia, qualis præcipue fuit Hostilia, de quibus post di-*

cen-

cendi erit locus. *Denique per metonymiam ipse amplissimus senatorum ordohoc sortitur nomen, quod varia romanorum scriptorum loca ostendent clarius.* Primas jure meritoque dicit Cicero Ep. ad div. IV. 3. ad Sulpicium: *Tantum dicam, quod te spero approbaturum, me postea quam illi arti, cui studueram nihil esse loci neque in curia, neque in foro viderem, omnem meam curam atque operam ad philosophiam contulisse.* Et L. III. de Oratore p. m. 282. inquit: *Gravis est modus in ornatu orationis et saepe sumendus; ex quo genere haec sunt: Martem bellie esse communem, Cererem pro frugibus, Liberum appellare pro vino, Neptunum promari, curiam pro senatu, reliqua.* Horatius carm. L. III. 5. v. 7.

*prob curia inversique mores*  
exclamat. Suetonius in vita Cæsar. c. 22. de illo com-  
memorat: *Quo gaudio elatus non temperavit, quin paucos  
post dies frequenti curia jactaret, in vitis et gementibus ad-  
versariis adeptum se, quem concupisset.* Et Lucanus aliquo  
loco canit:

*Victo jure minax jactatis curia Gracchis.*

Licet autem romani solis sibi et curiæ, senatus et ali-  
arum dignitatis et honorum voces proprias esse vel-  
lent, subinde tamen factum est, municipales magistra-  
tus romana nomina etiam affectasse. cf. Heinecc. l. c.  
T. II. p. m. 226.

Id vero, quod Romæ curia dicebatur, Athenis, quod  
iis quoque, qui primis tantum labellis litteras attige-  
runt, notum perspectumque est, Περιανειον vocabatur,

Sigæi quoque municipes, agri Trojensis, itidem habuerunt prytaneum, quod testatur Chishull *Anglus*, qui inscriptionem quandam βελευηγιον ex Asia attulit, quam legere poteris in Gram. March. gr. plen. p. 145. sqq. Alii contra græci βελευηγιον dixerunt, quod de Syracusanis affirmat Cicero or. 7. in Verr. L. II. p. m. 132. Deinde ut in curia Syracusis, quem locum illi buleuterium vocant, honestissimo loco, rel.

Originem vocis si consideras, non descendit illa a crurore in iis effuso, ut quispiam falso docet in theologi magni omnino nominis Sam. Schelvvigii Prüs. des Pabstthumis p. 739. sed potius a cura seu curare, quam originationem omnes lubenter amplectuntur. vid. Becmanni orig. lat. linguæ p. 369.

Iam transibimus ad reliqua atque recensemus curias, si non cunctas, taliūn quasdam, præprimis vero Hostiliam, Drusi, Pompejanam atque Juliam. Hostiliæ ortum ita testis præ multis locuples Livius I. 30. describit: Cœlius additur urbi mons, et quo frequentius habitaretur, eam sedem Tullus regiæ capit, ibique deinde habitavit. Principes Albanorum in patres, ut ea quoque pars reipublicæ cresceret, legit, Julios, Servilios, Quintios, Geganiros, Curiatiros, Clælios; templum ordini a se aucto curiam fecit, quæ Hostilia usque ad patrum nostrorum etatem appellata est. Fata tamen et hic invenere viam evertendi sedem Tulli Hostilii. Sextus enim Clodius cadaver Clodii a Milone ad Bovillas occisi portaverat in hanc curiam ignem plebis, a Planco incitatæ, quem Cicero pro Mil. c. 5. ambustum vocat,

au-

auxilio subselliis subjecerat, sicque curiam antiquissimam incendio consumserat, qua de re Cicero pro Milone c. 33. qui mortuus, inquit, uno ex suis satellitibus S. Clodio duce, curiam (hostiliam) incenderit? Quo quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius vidimus? Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, aram sacerorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo R. concessam uni ordini, inflammari, exscindi, funestari? neque id fieri multitudine imperita, quanquam esset miserum id ipsum, sed ab uno: qui cum tantum sit ausus uestor pro mortuo, quid signifer pro vivo non esset ausus? in curiam potissimum accepit, ut eam mortuus incenderet, quam vivus everterat. Qua de re Pompejus cognomento magnus, Ciceroni amicissimus postea legem tulit, ut ex Sigonio refert Heineccius ant. P. II. p. 392. Ornatam fuisse dicunt rostris, arena tot clarissimorum oratorum, de queis Livius narrat L. VIII. 14. Naves Antiatium, partim in navalia Romae subductae, partim incensae, rostrisque earum suggestum, in foro exstructum, adornari placuit: rostraque id templum appellatum. Forte et huc pertinet, quod Livius idem L. VIII. 40. docet: Dictator ex senatus consulto triumphavit; cuius triumpho longe maximam speciem captiuorum (a Samnitibus) arma prebuere. Tantum magnificentiae visum iis, ut aurata scuta dominis argentariarum, ad forum ornandum dividerentur; Inde natum initium dicitur fori ornandi ab aedilibus, quum thensa ducerentur. Tale quid romani in Cæsare deprehendere mihi videntur. Sic enim Suetonius in J. Cæs. vita c. 76, inquit: Prægravant tamen

men cetera facta, dictaque eius, ut et abusus dominatione, et jure cæsus existimetur. Non enim honores --- sed et ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est: sedem auream in curia (procul dubio Pompejana) et pro tribunali, thensam, et ferculum Circensi pompare. Hinc quoque Cicero de Orat. L. I. p. m. 190. meminit actionum Hostilianarum, dum ait: *Et credo in illa militis causa, si tu autharedem, aut militem defendisses, ad hostilianas te actiones, non ad tuam vim et oratoriam facultatem contulisses.* Hostiliam exceptit Pompejana, quam Cn. Pompejus M. nobilissimus quondam Romanus, exstruendam curavit, cum Hostilia rogus fuisset facta turbulenti illius Clodii. Hæc ipsa autem sanguine inaduit, novamque materiam belli civilis obtulit; Cæsar is enim morte fuit nobilitata. Cicero hinc de divin. L. II. p m. 384. inquit: *Quid vero Cæsarem putamus? si divinasset fore, ut in eo senatu, quem majore ex parte ipse cooptasset, in curia Pompejana, ante ipsius Pompeji simulacrum, tot centurionibus suis inspectantibus, a nobilissimis civibus, partim etiam ab se omnibus rebus ornatis, trucidatus ita jaceret, ut adejus corpus non modo amicorum, sed ne servorum quidem quisquam accederet.* conferas similia enarrantem Suetonium in vita Cæsaris c. 80. sqq. Dein. c. 88. scribit: *Curiam, in qua occisus est, obstrui placuit: Idusque Martias parricidium nominari, ac ne unquam eodie senatus ageretur.* Idem in vita Oct. Aug. c. 31: *Pompeji quoque statuam contra theatri ejus regiam marmoreo fano supposuit, translatam in curia, in qua C. Cæsar fuerat occisus.* Dum vero Cæsar  
ad-

adhuc viveret, curiam quoque exstruxit, qua splendorem  
urbis augeret: Hujus enim memoria extat: *Senatus enim*,  
*Romanus, æde Caligulae perpetrata, in asserta libertate*  
*adeo consensit, ut consules non primo in curiam, quia Julia voca-*  
*batur, sed in capitolium convocarent.* Sueton. in vita Calig. c.  
60. Quæ, ut reor quidem, fori nomine venit Suet. Cæs.  
c. 26: *Forum de manubiosis incoavit, cuius area super LLS mil-*  
*ties constitit; aut basilica Julia (Quintil. Instit. XII. 5.) seu*  
*Julia tecta audit apud Martialem Epigr. VI. 38.*

*Fam clamor centumque viii, densumque corona*  
*Vulgus, et infanti Julia Tecta placent.*

Occurrit præterea *Drusi curia*, cuius mentionem inje-  
cit *Tullius de Orat. L. III. init. p. m. 256*: *Mane, inquit,*  
*Idibus septembribus et ille et senatus frequens vocatus Drusi in cu-*  
*riam venit.* In templis quoque senatum fuisse habitum,  
compertum habemus. *Vulcani tanum ante exstructam*  
*curiam Hostiliam senatorum concilio destinatum quon-*  
*dam, observavit ill. Heinecc. antiq. rom. P. I. p. m. 86. ex*  
*Plutarcho.*

*Capitolium quoque republ. libera senaculum esse cœpit;*  
hinc *Livius III. 21* narrat: *Senatus in capitulo erat Et L VIII.*  
*5. inquit: Ubi Romanum ventum est, in capitulo ei (legato La-*  
*tinarum) *senatus datus est, quod procul dubio in æde Ca-*  
*pitolini Jovis factum; Sic enim T. Manlius consul l. d. in-*  
*quit: Audi, Jupiter, hæc sclera, audite jusque fasque! Peregri-*  
*nos consules et peregrinum senatum, in tuo, Jupiter, augurato*  
*templo rel. etc. 6. 1 c. Torquatus exclamat: Es magne Ju-*  
*per! haud frustra te patrem Deum hominumque hac sede sacra-*  
*vimus. Jovis statoris templum in Palatinâ regione huic u-*  
b  
sui*

sui nonnunquam destinabatur, cuius rei præcipua fit  
mentio in tumultu Catilinario. Producemus testem M.  
Tullium, vigilantissimum consulem sic differentem orat.  
**Catil. I. c. 5.** *Magna diis immortalibus habenda est gratia, at-  
que huic ipsi fovi statori, antiquissimo custodi hujus urbis;* et l. c.  
**c. 8.** *jam mibi consuli hoc ipso in templo jure optimo senatus vim et  
manus intulisset.* **Catil. II. c. 6.** *Senatum in ædem fovi statoris  
vocavi, rem omnem ad patres conscriptos detuli: Idem tumul-  
tus et templum Concordiæ senaculum fecit clarum. In  
hac æde, cuius dedicationem describit Livius L. VIII.*  
**46.** Cicero patres CS. convocavit Catilina ejecto ex urbe.  
*Illud vero, inquit Catil. III. c. 9. nonne ita præsens est, ut nu-  
tu fovi optimi maximi factum esse videatur, ut cum hodierno  
die mane per forum meo iussu et conjurat et eorum indices inæ-  
dem Concordiæ ducerentur, eo ipso tempore signum statueretur?  
quo collocato et ad vos senatumque converso, omnia et senatus, et  
vos, quæ erant cogitata contra salutem omnium, illustrata et pa-  
tefacta vidistis. id quod etiam testatur Sallustius in bell.*  
**Catil. p. 25.** *Consul Lentulum, quod prætor erat, ipse  
manu tenens in senatum perducit, reliquos cum custodibus in æ-  
dem Concordiæ venire jubet, eo senatum advocatione, magna que  
frequentia ejus ordinis Vulturium cum legatis introducit. Nec  
non membrandum est, quod Cicero ait or. pro domo p.  
m. 570. *Concursus est ad templum concordiæ factus, sena-  
tum illuc vocante Metello consule: utrum vero id, quod po-  
stea l. c. p. m. 597. 598. de signo concordiæ refert ad  
hanc pertineat ædem, dubius sum. Signum vero Victoriae  
in ea asservatum fuisse affirmat Heder. Real. Schul-Lex.  
p. 904. quod Livii autoritas probat, in quo L. XXVI. 23.**

In

In æde Concordiae Victoria, quæ in culmine erat, fulmine icta, decussaque ad Victorias, quæ in antefixis erant, hæsit; nec inde procedit: quod forte idem erit, de quo narrat Sueton. in Aug. c. 100. ut inter alia complura censuerint quidam funus triumphali porta ducendum, præcedente Victoria, quae est in curia. Bellonæ ædes extra urbem erat, in qua et bella decreta, et hostium legatos exceptos, et de triumphis consultatum esse novimus. Gravem habemus testimoniū, lacteum Tit. Liviuīn, cuius verba L. XXVI. 21. hic habes: *Eiusdem astatis exitu M. Marcellus ex Sicilia provincia quum ad urbem venisset, a C. Calpurnio prætore senatus ei ad eadem Bellonæ datus est. -- postulavit, ut triumphanti urbem inire liceret cf. Liv. XXVIII. 9. § 5. et c. 38. § 2.* Audiamus cum et L. XXX. 21. Q. Fulvius Gillo, legatus Scipionis, Carthaginienses Romam adduxit quibus vetitis ingredi urbem, hospitium in villa publica, senatus ad eadem Bellonæ datus est, et c. 22. appellat templum curiam: *conclamatum, inquiens, ex omni parte curiae est, et c. 23. emotis deinde curia legatis, sententia interrogari cœpta.* de Macedonum legatis adi. Livium XXXIII. 24. J. Cæs. Dictator, summæ rerum romanarum potitus, æde Veneris genetricis usus est, quod ex Suetonio in Cæs. c. 78. colligimus: *Adeuntes se cum pluribus honorificentissimisque decretis, universos P. C. sedens pro æde Veneris genetricis excepit.* Octavius vero Augustus, duobus templis senaculorum loco habendis exornavit urbem, et quidem Martis Ultoris et Apollinis ab Horatio carm. sec. v. 65. palatinas arces dicto, de quibus jam Suetonium audiamus in Aug. c. 29. *Publica opera plurima exstruxit; ex quibus vel præcipua forum cum æde Martis ultoris, templum Apollinis in Palatio, eadem Jovis to-*

*nantis in Capitolio. Fori exstruendi causa fuit, hominum et iudiciorum multitudo, quæ videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere. Itaque festinantius, nec dum perfecta Martis æde publicatum est, cautusque ut separatim in eopublica judicia et sortitiones judicum fierent, Aëdem Marti bello Philippensi pro ultione paterna suscepto voverat. Sanxit ergo, ut de bellis triumphisque heic consuleretur senatus: provincias cum imperio petituri hinc deducerentur: qui que victores redissent, buc insignia triumphorum inferrent. Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a Deo haruspices pronunciarunt. Addita porticus cum bibliotheca latina græcaque, quo loco jam senior sæpe etiam senatum habuit, decuriasque judicum recognovit. Nec senatus nisi augurato atque sancto loco poterat haberi, quapropter non solum tempora (quod etiam in provinciis observatum fuit. v. Hein. ant. jur. rom. T. I. p. 374.) senacula fuere, sed etiam curiæ per augures sunt consecratae, ut annotavit Andr. Dom. Floccus de potest. L. II. c. I. et Georgius Vauchopius §. 16. adeo, ut non nisi A. U. C. 299 et 310. dum plebs secessiones minitaretur atque seditiones agitaret intra parietes privatos coetum patrum habuisse consules idem Vauchopius I. c. tradat. Hoc in memoriam mihi revocat verba Livii L. XXVI. 10. Consules senatusque in castra venerunt, ibi de summa republica consultatum.*

*Curiam ingressilitare Diis solebant, cuius rei Jul. Cæsar negligentior sacrificium omisit referente Suetonio Cæs. c. 81. Dein pluribus hostiis cæsis, cum litare non posset, intravit curiam, spretare religione Augustus id edicto sanxit, quo autem lecti, inquit Suetonius Aug. c. 35. probatique et religiosius*

osus et minore molestia senatoriamunera fungerentur, sanxit,  
 ut priusquam consideret quisquam thure ac mero supplicaret apud  
 aram ejus dei in cuius templo coiretur. Et Tiberius, quo pri-  
 mum die, post excessum Augusti curiam intravit, quasi pietati  
 simul ac religioni satisfactus, Minois exemplo, thure quidem  
 ac vino, verum sine tibicine, supplicavit: ut ille olim in mor-  
 te filii. Suetonius in Tib. c 70. Quia in reimitatores Josa-  
 phati esse voluerunt, qui judices admonuit quondam, se  
 Deo iudicia exercere. I. Chron. XVIII, 6. conf. interim  
 Wagneri diss. de aris in curiis et pro tribunali apud Rom.  
 positis. L. 1732. Justo itaque et frequenti senatu, quo se-  
 natores, ut me in P. Scriverii rep. romana legisse credo, nisi  
 me Athenaeus a Lipsio de mag. pop. rom. c. 12. laudatus  
 in errorem induxit, candido marmore insidebant, con-  
 sul referebat, ac prius quidem de divinis, quam humanis  
 (Vauchopius de vet. pop. rom. §. 21.) cuius rei formulam  
 solemnem legas in Heineccii ant. jur. rom. T. I. p. 87. Con-  
 sideremus nunc res in conciliis senatorum obvias. Reli-  
 giones et prodigia se primo nobis offerunt, de quibus Li-  
 vius L. XXII I. His (prodigiis) sicut erant nunciata, exposi-  
 tis, auctoribusque in curiam introductis, consul de religione pa-  
 tres consuluit. Decretum ut ea prodigia partim majoribus ho-  
 stiis, partim lactentibus procurarentur, et uti supplicatio per tri-  
 duum ad omnia pulvinaria haberetur. Dein Senatus consula-  
 ta seu leges in iis sunt factae, hinc senatus consultum de e-  
 dicto perpetuo prætorum v. Heinecc. ant. rom. T. I p.  
 58. eoque frequentiora erant cum Cæsares populo facul-  
 tam leges ferendi eriperent, et comitia in curiam trans-  
 ferrent. v. Heinecc. I. c. p. 83. et T. II. p. 409. Litteræ quo-

que victoriam nunciantes legebantur, quare scribit Livi-  
us de Nerone Hasdrubalem vincente L. XXVII. 50. vo-  
ciferantibus, ut in rostris, priusquam in senatu litteræ recitaren-  
tur. Tandem summoti et coerciti a magistratibus dispensarique  
lætitia inter impotentes ejus animos potuit. In senatu primum,  
dein in concione litteræ recitatæ sunt; et pro cujusque ingenio aliis  
jam certum gaudium, aliis nulla ante futura fides erat quam le-  
gatos consulumque litteras audissent. De tributis in senatu  
quondam est actum. Denuo Livium producimus L.  
XXIII. 31. *Senatus, quo die primum est in capitulo consulus,*  
*decrevit, ut, quo eo anno duplex tributum imperaretur, simplex*  
*confestim exigeretur, ex quo stipendium præsens omnibus militi-  
bus daretur.* Nec non consilia de urbis Romæ custodia  
capta. Livius L. XXII. 55. *P. Furius Philus et M. Pom-  
ponius Prætores senatum in curiam Hostiliam vocaverunt, ut*  
*de urbis custodia consularent.* Legatis in curia aut aliquo  
templo responsa dare soliti erant, ideo legatis captivo-  
rum ad Cannas romanorum in curia senatus a Dictatore  
datus fuit Liv. XXII. 59. et 60. et Petellini nominis lega-  
ti, sibimet ipsi consulere jussi, in questus flebiles sese in cu-  
riæ vestibulo profuderunt. Liv. XXIII. 20. nec locus plu-  
ra laudare loca permittit. Curiam quoque initis magi-  
stratibus idibus Martii ingressi sunt, seu ut rectius loquar  
**Capitolinum Jovem :** *Cn. enim Fulvius Centumalus, P.  
Sulpicius Galba consules, cum idibus Martii magistratum in-  
issent, senatus in capitolium vocato, de republica, de administra-  
tione belli, de provinciis exercitibusque patres consuluerunt. Liv.  
XXVI. c. 1.* Et alio loco inquit: *Quo die magistratum inie-  
runt consules, senatus in capitolio est habitus; decretumque o-*  
*mni-*

mnium primum, ut consules sortirentur, compararent ne inter se, uter censoribus creandis comitia haberet, priusquam ad exercitum proficisceretur. Liv. XXIIII. 10. Dein idem historiæ Romanæ decus atque ornaementum L. XXV. c. 3. et 4. narrat, concilium senatorum in Capitolium vocatum ob vim et fraudes M. Postumi publicani. Unicum addimus Suetonii locum de Augusti Cæsaris testamento vid. Tiber. c. 23. Illatum deinde Angusti testamentum, non admissis signatoribus, nisi senatorii ordinis, ceteris extra curiam signa agnoscētibus recitavit per libertum.

In his sacratis senatores convenere locis a Consule plerumque per editum convocati, v. Heinecc. ant. rom. jur. T. I. p. 87. eoque absente a Prætoribus. Hujus rei exemplum legimus in Livio toties laudato: *P. Furius Philus, et M. Pomponius Prætores* (uterque enim Consul ad Cannas ceciderat) *Senatum in curiam Hostiliam vocaverunt, ut de urbis custodia consulerent.* Et a Dictatore, consulairem potestatem habente haberi poterat; hinc Livius XXII. 59. De M. Junio post Canneniem pugnam ait: *Legatis captivorum senatus a dictatore datus est.* Tribunis plebis quondam non licuisse curiam, sed atrium seu vestibulum tantum ingredi, postea vero in senatorum numerum iis alleatis, etiam senatum convocasse, doctissime annotarunt autores in Scriverii republ. Rom. p. 78. 250. 437. 424. et ill. Heinecc. ant. rom. jur. T. I. p. 88. cuius luculentis testimoniosis, unum saltim addere liceat. Suetonius igitur prodeat de Tiberio referens in vita ejus c. 23. *Jure autem tribuniciae potestatis coacto senatu.*

Nec tamen omnibus quoque fas erat senatiui interesse, sed iis tantum qui patres, quique conscripti erant, quibusque in senatu sententiam dicere licebat v. Heinecc. I. c. T. I. p. 87. In horum numero præcipue Dictatorem, Consules, Magistrum equitum, Consulares, Prætores, Prætorianos, Aediles, Quæstores fuisse, nemo est, qui dubitat: Tribunis pl. vero prius tantum licuit vestibulum introire, ut jamjam monuimus. Dialem Flaminem olim id jus quoque usurpare liquet ex Livio L. XXVII. 8. *Hujus famæ consensuelatus adjustam fiduciam sui rem intermisam per multos annos ob indignitatem flaminum priorum repetivit, ut in senatum introiret. Ingressum eum curiam cum L. Licinius prætor inde eduxisset, tribunos plebis appellavit flamen.* *Vetusum jus*

jus sacerdotii reperiebat: datum id cum togapretesta et sella curuli et flammo, reliqua. Liberi senatorum Augusto imperante iterum in concilium patrum fuere admissi, id quod a Papirii, silentio suo celebris, aetate insolens fuit. Hinc Suetonius in Aug. c. 38. inquit: *Liberis senatorum, quo celerius reipubl. adsuerterent, protinus virilem togam, latum clavum induere et curiae interessere permisit.* Idem commemorat de Claudio, in vita ejus: *Neminem exulum, nisi ex senatus auctoritate, restituit: utque sibi in curiam prefectum pretorii, tribunosque militum secum induceret, utque rata es- sent, que procuratores sui in judicando statuerent, precario exegit.* De monstro illo Cæsarum Romanorum Heliogabalo Vauchepius annotat, illum mulieribus, quarum concursum in foro maxima indignatione tulit M. Porcius Cato. apud Liv. XXXIII. 2. deditis jus ingrediundi senatum, sub quo mater sua Semiamira loco viri senatum fuerit ingressa, quæ cum venisset vocata ad consulum subsellia, scribendo affuit, i.e. senatus consuli conficiendi testis. v. de vet. pop. rom. §. 20.

Quinam vero fuerint illi nefasti atque fasti dies habendo senatui idonei, quo minus curatius expendam, spatio excludor: adeant autem, quibus lubet, ill. Heineccium synt. ant. rom. T. I. p. 86. Vauchopium aliquoties laudatum de vet. pop. rom. §. 17. 18. Et Accram philolog. Hall. T. I. p. II. observat. 4. de discrimine dierum p. 206. sqq.

Sed quorsum hæc omnia? Curia vestra quotidie magis exsurgit et suo splendore magnificam urbis veltræ speciem mirum in modum auget. Nec tantum, ut certo scimus, pulcritudinem sedis regiae, insigni tot rerum varietate celebris, amplificat, sed et spem in civium excitat animis, æque hanc novam curiam fore templum sanctitatis augustum, vindicem temeritatis, moderatricem officiorum, aram egentium, portumque afflictorum. Macte igitur sitis virtute, PATRES CONSCRIPTI, auspicato incoastis hanc ædem iustitiae et pietatis, pace aurea in finibus nostris regnante, peregristis haud sine admiratione quieti feliciter, vicina regna interim vastante belli flamma, Feliores tandem perficietis opus tantopere necessarium, pace, quam omnes anxie de- siderauimus, divinitus nobis restituta Pax itaque et iustitia arctissimo amici- tiæ vinculo se invicem iterum complectantur, quo fides novum quotidie in- crementum capiat, saluberrimaque consilia, in curia ad fastigium jamjam excreta, et post hac capiantur. Sic civium felicitas nunquam minuetur, qui beatos se ntique merito censem, fese Vestra indefessa cura hac frui prosperi- tate. Sic gloria et fama magistratus per tot annos acquisita indies maior erit ac ad invidiam usque crescat, sic pietas, firmissimum ciuitatis vinculum, perpetuo flore virebit atque vigebit.







Ant. Rom. 359

